DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

(8

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL NEILL,

HIBERNUS,

CLASSIS REGIÆ CHIRURGUS.

Ad Calendas Augustas, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXVI.

8

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE

HEPATITIDE

COMPLECTENS.

SAMUELE NEILL Auctore.

MORBUS de quo disserturus sum, a Scriptoribus Medicis sub duabus formis, nimirum *Acuta* et *Chronica*, describitur: Hunc pro argumento Dissertationis meæ Inauguralis selegi, quòd occasiones frequentes et opportunæ eum in ejus formis et stadiis diversis, per commorationem nonnullorum annorum in regione tropica, ubi sæpe endemica pervagabatur, mihi oblatæ sunt.

Incolæ regionum calidarum huic morbo quàm illi regionum magis frigidarum procliviores sunt; et etiam in partibus quibusdam, ut Hindostan et Ceylon, quàm in illis Africæ et Americæ, sub eadem latitudine sitis, et quod ad temperiem maximè simillimis.

Hic morbus plerumque cum somnolentia, languore, et inertia, quæ sensus plenitudinis, gravitatis, et doloris obtusi, in regione hepatis, cibo sumpto, et pressurâ in partem aucti, vel comitantur vel citò sequuntur.

Frequenter accidit ut æger ab initio morbi nisi in latus affectum, non facilè possit recumbere. Quum morbus aliquamdiu manserit, dolor lateris augescit; simul cum respiratione difficili dum æger recumbit. Situs erectus igitur, vel corpus parùm dextrorsum versum, maximum levamen ægro præbet; in hoc situ, somnus plerumque obrepit, qui rarò reficit, quòd somniis horrificis sæpe interpellitur.

Ineunte

Ineunte morbo pulsus plerumque est regularis; sitis nonnihil aucta; lingua post somnum saporem injucundissimum sentit; cutis fit arida et aspera, et coloris pallidi plumbei evadit: oculi graves, turgidi et flavidi apparent. Ad initium morbi, alvus est regularis vel aliquid adstricta; sed, morbo progrediente, dejectiones fiunt frequentiores et fluidæ, et diarrhœa biliosa, gravia tormina et tenesmum inducens, tandem formatur. Materia dejecta aliquando est naturâ adeò acrida, ut nates ægri sæpe excoriat, et sic dolorem ingentem efficiat. Urina sæpe est ruberrima, et parcè redditur. Pedes et crura vesperem versus sæpe tumefacta sunt. Anorexia ingens, usque ad totam abstinentiam cibi ingravescens, sæpe occurrit; vel parva copia cibi in ventriculum sumpta, processum idoneum concoctionis non subit; ventriculus igitur sæpe multùm flatulentiâ distenditur, plurimum molestiæ, quam ructus et vomitus copiæ muci bilem quod ad colorem referentis comitantur; dolor lateris augetur, et pars tacta lenissimam pressuram manûs sentit, efficiens ut dolor ad summum humerum ascendet.

Difficultas

Difficultas spirandi per totum cursum morbi est, quam tussis sicca et dura comitatur; aliquando tussi expectoratio accedit. In posterioribus stadiis morbi dejectiones maximè sunt frequentes, parvæ, fœtidæ, et ex bile, muco et copia materiæ purulentæ, pauxillo sanguine tinctæ, plerumque constant. Sitis et dyspnœa augescunt, et febris hectica formatur, quam nocturni sudores, vires ægri citò corrumpentes, comitatur. Oculi languescunt, in orbitis suis recedunt, et omnis aspectus vultûs finem lethalem morbi, abscessu in cavitatem thoracis vel abdominis erumpente, instantem denunciat.

Haud infrequenter accidit ut ægri hoc morbo per plurimas hebdomades, imò etiam menses, ipsis vel etiam medicis hepar aliquo modo affectum esse non suspicantibus, laboraverant. Rebus sic se habentibus, morbum plurima symptomatum supradictorum haud comitantur, vel adeò levia sunt ut attentionem ægri non excitent; vel si hoc accidat, cuidam alii causæ, haud infrequenter indigestioni, tribuuntur. Et hoc judicium

cium non absimile videtur; nam ventriculus flatulentiâ, ructus frequentes et fœtidos, qui levamen pro tempore præbere videntur efficiente, ferè semper afficitur. Hoc accidit præsertim citò post cibum sumptum, quod ægrum sumere aromatica, vel cum cibo quo utitur, vel conjuncta cum quodam liquore, in forma eorum quæ vocantur *amara*, inducit. Liquor qui in usum plerumque venit in his exhibitionibus est vinum adustum, cui aliquid cinnamomi vel caryophyllorum, &c. addere oportet, quod hæc sumpta ægro firmiter credenti malum suum ex indigestione sola oriri, præsens levamen præbet.

Hoc modo morbus per intervallum longius vel brevius restat, cùm æger periculi sui febre hecticâ accedente, vel abscessu in quadam parte regionis hepatis apparente, monitus est.

TERMI-

TERMINATIONES.

Hic morbus vel in resolutionem, vel in suppurationem, et aliquando quamvis raro in gangrænam et scirrhum desinit.

Cùm hic morbus in *resolutionem* desinit, quædam exinanitio, ut diarrhœa biliosa ineunte morbo occurrens, vel effusio sanguinis ex naso, vel vasis hæmorrhoidalibus, vel, quod sæpiùs accidit, sudor copiosus per totum corpus et extremitates, quem levamen omnium vel plerorumque symptomatum sequitur, plerumque eum comitatur.

Morbo exinanitionibus salutaribus finito, appetitus redit, vultus sanum aspectum induit, et æger valetudinem et vigorem solitum paulatim recuperat.

Cùm in *suppurationem*, quæ semper est periculosa, desinit, hæc dolore minuto, pulsu molliore

liore et pleniore evadente, horroribus frequentibus, et sensu gravitatis et plenitudinis in quadem parte regione hepatis, quibus tenaces et frigidi sudores, et febris hectica accedunt, innotescit.

Cùm abscessus externè tendit, fluctuatio faciliùs sentiri, et materia operatione chirurgicâ emitti potest; sed si latus convexum hepatis morbo afficitur, adhæsionem cum diaphragmate format, et in thoracem erumpat, et suffocationem inducat, vel expectoratione effundatur. Sed cùm abscessus in latere concavo situs est, in ventriculum et intestina, vel cavitatem abdominis adhæsionibus inter inflammationem formatis, effundatur, et vomitu vel alvo ejiciatur.

RATIO SYMPTOMATUM.

Ratio quorundam symptomatum occurrentium, dum alia minùs manifesta sunt, reddi potest.

test. Hæc quàm brevissimè igitur explanare conabar.

Primò, Sensus gravitatis et doloris in regione hypochondrica dextra, cùm dexter latus hepatis sedes est morbi, occurrit.

Secùndò, Difficultas spirandi et tussis cùm latus convexum hepatis est sedes morbi, maxime urgent. Hoc vel diaphragmate in plena inspiratione premente in hepar inflammatum, vel inflammatione extendente ad diaphragma vel pleuram id obducentem, accidere potest.

Tertiò, Dolor et difficultas cubandi in latus sinistrum, ex hepate ejusque ligamentis maxime sensibilibus inflammatione factis, oriuntur. Inde dolor auctus cùm æger in latus sinistrum cubare conatur, quo hepar per ligamentum ejus dextrum suspenditur.

Quartò, Vomitus aliæque affectiones ventriculi vel ex hepate ampliato in eum premente, vel

vel inflammatione extendente ex ejus superficie concava ad ventriculum, vel quantitate bilis acridæ in duodenum effusæ, et in ventriculum regurgitantis, et sic vomitum inducentis, ortum suum habeant.

Quintò, Doloris ad summum humerum dextrum, qui in hoc morbo frequenter occurrit, a diversis scriptoribus ratio diversa tradita est: sed infeliciter nullæ ex his explanationibus satis validæ sunt. Alia est eum ex consensu inter nervos hepatis et humeri ex eodem plexu derivari; alia inflammationem per mediastinum usque ad summum humeri, vel eum è consensu inter partes ejusdem lateris corporis, oriri.

Sextò, Flavedo oculorum et cutis, ex quantitate bilis vasis lymphaticis, hepatis vel absorbentibus intestinorum postquam in eam canalem transit, et sic sanguine mista præbente flavedinem cuti et oculis absorpta: oritur quantitatem bilis in intestina latam esse ex glandulis mesentericis in illis qui hepatitide mortui sunt, morbosis repertis, verisimile est.

SECTIO CADAVERIS.

Cadaveribus eorum qui hepatitide mortui sunt perscrutatis, invenire naturam et sedem morbi raró est nobis impedimento. Omnis pars hepatis huic morbo proclivis est, et dexter lobus utpote maximus, sæpiùs quàm sinister, sedes morbi existit; et ea pars dextri lobuli præsertim in quam magna vasa intrant, sæpè sedes primaria morbi existit. Cùm hoc accidit, æger plerumque diarrhœâ biliosâ ab initio morbi afficitur. Primò, materia ex alvo dejecta est mistura bilis et muci: sed morbo progrediente dejectiones frequentissimæ fœtidæ fiunt, et subviridi sunt colore; aliquando quibusdam filmis albidis mistæ; quæ partes tunicæ interioris intestini gangrænâ affectæ esse existimantur. Hoc modo ægri intra spatium paucarum hebdomadum vel etiam dierum tolluntur. Cadaveribus eorum qui dysenteriâ ut putatur, mortui sunt, perscrutatis, mirum est medicis quod nullam partem intestinorum gangrænâ

grænâ affectam, et hanc minime inflammatam inveniunt. Perscrutari hepar cujus magnam partem morbosam et ulceratam quibusdam ex visceribus abdominis adhærentem, invenerunt igitur pergunt.

In his casibus bilem et materiam purulentam alvo dejectam, vel in duodenum per ductus biliarios, vel adhæsione factâ inter hepar et illud viscus vel colon, oportet transisse; et hic omnia præcedentia symptomata dysenteriæ inducentis.

Exempla hujusmodi in India Orientali adeo frequenter occurrunt, ut multis medicis dysenteriam illius regionis nunquam morbum idiopathicum existere, sed vel a hepatitide induci vel stipari, persuasum est.

Hoc quamvis sæpe, tamen non semper occurrit; nam ex cadaveribus plurimorum qui dysenteriâ obierunt, sectis, nonnulla quorum hepata inflammatione vel ullo morbo antecedente, immunia

immunia sunt, vidi. Aliquando latus convexum hepatis diaphragmati arctè adherescens reperitur, et sic cum thorace communicans, in quem copia materiæ instantem suffocationem inducentis sæpè effunditur. Haud raròaccidit ut magna copia materiæ purulentæ in cavitate abdominis reperitur; alias hepar fere totum morbo consumptum est, ejus tunicâ peritoneali fere integrâ relictâ. Casus hujusmodi in Nosocomio Marino Societatis Indiæ Orientalis ad Bombay, in vere anni millesimi octingentesimi septimi, occurrit.

Proreta unius ex Navibus Regiis in illa statione ad id Nosocomium ob dysenteriam quæ ferè per annos duos laboraverat missus est, et tertia hebdomade post admissionem mortuus est.

Cadavere secto, nonnullæ unciæ materiæ fœtidæ, referentis picem liquidam, in sacco qui olim hepar continebat, repertæ sunt. Hic saccus ad colon arctè adhærebat, cum interiore parte cujus foramine rotundo ferè pollicem in diametro, communicatio fuit.

DIA-

DIAGNOSIS.

Hepatitis pro Pneumonia, Dyspepsia, Gastritide et Dysenteria, sumi potest: symptomata igitur quo illa ex his dignosci potest, pro virili parte proferam.

In Pneumonia, dolor lateris plerumque altior, magis pungens, et ab alio loco ad alium sæpè transit, et cubando in latus affectum augetur. Difficultas respirationis et tussis magis urgent; hanc plerumque expectoratio copiosa sæpe sanguine mixta comitatur. In hepatitide dolor est minùs acutus, sæpe ad summum humerum tendens, cubando in latus sanum vel pressurâ in regione hepatis auctus. Hæc cum vomitu, dyspepsia et flavedine cutis et oculorum, hepatitidem ex pneumonia satis distinguent.

Gastritis ex hoc morbo sede doloris, vomitu instante cibo sumpto, singultu et subitâ jacturâ virium,

virium, dolore lateris et humeri, et flavedine cutis et oculorum non existentibus, distinguitur.

Hepatitis ex Dyspepsia dolore lateris et humeri, colore oculorum et cutis, et dejectionibus biliosis frequentibus, sæpissimè dignoscatur.

Hepatitis ex Dysenteria, tussi, dolore lateris et humeri, et flavedine cutis et oculorum, distingui potest. In regionibus calidis hi duo morbi adeò frequenter conjunguntur, ut cùm dysenteria diu perstiterit causa timendi ne hepar morbo afficitur, existet; nam cùm hepatitis chronica in mortem desinet, hoc dysenteriâ inductâ accidit.

CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ remotæ hujus morbi in *prædisponentes* et *excitantes* dividi possunt.

Causæ

Causæ Prædisponentes sunt temperamentum sanguineum, et forma corporis valida et athletica; igitur viri huic morbo quàm mulieres vel impuberes procliviores existunt; illi qui cibum multis condimentis confectum sumunt, et liquores fermentatos vel spirituosos bibunt, præsertim si vitam inertem degunt. Illi qui impetus scorbuti gravis aut frequentes passi sunt, sæpissimè hoc morbo corripiuntur. Quomodo scorbutus præbendo propensionem ad hepatitidem ratio non facilè reddi potest. Tamen illos qui multùm e scorbuto per longam navigationem ex Europa ad Indiam Orientalem passi sunt, hepatitide vel dysenteriâ lethali, haud paulo post adventum in hanc regionem correpti sunt.

Causæ excitantes calor externus, exercitatio vehemens, mutationes subitæ ex calore ad frigus, febres intermittentes et remittentes, existunt.

Calor aliquo modo ad corpus admotus, vires validas stimulantes, non solùm excitando partem jam nunc ad inflammationem proclivem, sed

quoque

quoque accelerando circuitum sanguinis, et sic diversas secretiones, imprimis bilis augendo, exhibit. Hæc causa est qua cholera in regionibus calidis, et etiam temperatis, inter vel haud paulo post calidissimam partem æstatis, adeò est frequens. Exercitatio violens eodem modo ac calor agere videtur, et fortasse diu continuata, debilitate inductâ, propensione ad hunc morbum quoque ortum præbeat.

Mutationes subitæ ex calore ad frigus, inducendo constrictionem vasorum in superficiem corporis, et sic impediendo halitum e cute, ut major copia fluidi circumeuntis per viscera interna transiret, efficit; unde major quantitas bilis, in dato tempore, et fortasse qualitate diversa ex ea quæ inducitur cùm calor corporis est modicus, et circulatio et perspiratio naturales, secernitur.

Febres intermittentes et remittentes affectiones hepatis tam sæpe sequuntur, ut nihil dubii, quin sæpe sint causa excitans hepatitis, existere

istere potest, ratio hujus fortassè non facilè reddi potest; sed ex magna copia et qualitate acrida ut videtur, bilis secretæ, inter stadia frigida et calida februm intermittentium, causa suspicandi motum inversum hepatis inter has febres existere subest. Hæc opinio plusquam verisimilis ex cadaveribus sectis eorum qui febre intermittente interempti sunt, hepar semper inflammatum et sæpe multùm ampliatum exhibentibus, redditur.

Intemperantia non tantum proclivitatem ad inflammationem præbet; sed hanc ubi prædispositio adest quoque excitat.

Usus immodicus vini vel liquorum spirituosorum, imprimis horum effectum peculiarem in hepar, non solùm secretionem ejus augendo, sed quoque mutando qualitatem bilis ex illo statu qui necessarius est in processu digestionis ad fluidum acridum, non solùm valens ad inflammationem in intestinis in quæ effunditur, sed quoque in organo in quo secernitur excitandum,

dum, exercet. Sic sæpe accidit ut hepata ebriosorum, etiam in regionibus ubi calor est modicus, morbida, et adhæsiones cum partibus vicinis formantia, inveniuntur.

CAUSA PROXIMA.

Causa Proxima hujus morbi non secus ac plurimarum aliarum inflammationum parùm intelligitur. Igitur ferè omnis scriptor de hac re errorem priorum auctorum demonstrat, et novam rationem sibi pariter invalidum ac priores format. Causam proximam, inflammationem, oriri ex ramulis extremis venæ portarum, ad actionem morbidam excitatis excessu bilis in sanguine formatæ, per tardum ejus transitum in venam portæ, quibusdam placuit; aliis eam induci ab errore loci, dum aliis eam a spasmo ramulorum extremorum arteriæ hepaticæ et venæ portæ, persuasum est.

PRO-

PROGNOSIS.

Prædicere posse eventum morbi semper est summi momenti. Ut hoc meliùs efficiamus, symptomata diversa in suo progressu sedulò notare, ad causas et durationem morbi, ætatem et vires ægri, priorem methodum vivendi, effectus remediorum quæ exhibentur, et naturam cœli in quo tunc habitat, attendere oportet.

Si symptomata ad initium levia sunt; si hic est primus impetus morbi; si cedere remediis exhibitis videtur; si post diarrhœam biliosam lenis perspiratio per corpus et extremitates effusa est, reditus est appetitus et somni reficientes, et sitis aliaque symptomata levantur; tunc morbum in resolutionem faustè desiturum esse, licet nobis expectare. Contrà, si symptomata ab initio sunt violentia et idoneis remediis non cedunt; si constitutio intemperantiâ, longâ habitatione in regionibus calidis vel insalubribus, prioribus

prioribus impetibus hujus aliorumve morborum, confecta est, morbum in suppurationem desiturum esse locus est metuendi.

Cùm morbus in suppurationem desierit, sensu fluctuationis in quadam parte regionis hepatis, dolore imminuto, rigoribus frequentibus, siti auctâ, sudoribus nocturnis, et aliquando materiâ purulentâ ex alvo dejectâ, plerumque cognoscitur.

RATIO MEDENDI.

In his ac in aliis morbis inflammatoriis, praxin nostram secundum vehementiam symptomatum, durationem morbi, ætatem et vires ægri, oportet nos dirigere. Si ineunte morbo, advisendum ægrum habitu plethorico præditum, et qui a regione frigida ad calidam recenter advenit, vel cujus morbus ex ingluvie vel exercitatione violente sub radiis solis, vel ex perspiratione impedita, mutatione subitâ ex calore ad frigus,

frigus, arcessimur; si symptomata urgent, et multum doloris et dyspnœæ comitantur, satis plenâ sanguis missione opus erit; postquam alvus acri cathartico, unius salium mediorum, vel dose calomelanos et jalapæ, est solvenda. Si symptomata post venæsectionem et catharticum vehementia sunt, hæc iterum sunt repetenda, curâ adhibitâ ne vires ægri largis exinanitionibus, quod in regionibus calidis semper est evitandum, minuatur. Epispasticum ad partem quæ maximè dolet est admovendum, ægrum tunc cursum lenem hydrargyri donec os afficitur, quod tenerum est servandum usque ad morbum superatum, quod in cursu paucarum hebdomadum plerumque eveniet, subire oportet. Optima præparatio hydrargyri in hoc morbo est submurias conjunctum opiò, quod non solùm ne hydrargyrus intestina nimis violenter afficiat, prohibet, sed quoque cum hydrargyro ut diaphoreticum validum agit. In Hepatitide Chronica consilium medendi ex eo in Acuto adhibito differre debet: hìc ingentes evacuationes non solùm erunt unnecessariæ, sed maximè lædent, et debilitate igitur

quæ

quæ sæpe prohibit ne idonea remedia valeamus exhibere, est cavendum. Alvus primò oleo ricini (purgantibus salinis ex generali irritabilitate canalis alimentorum prorsùs nocivis existentibus) est evacuanda; proximè submurias hydrargyri ter in die, in dosibus ex tribus ad quatuor grana, in forma pilulæ, conjunctis grana dimidio opii, vel etiam pleno grano, si diarrhœa urget, exhiberi debet. Fricare dimidiam drachmi unguenti hydrargyri fortis in crura, donec usque lene ptyalisma inductum sit; quod, si vires ægri sinunt, donec curatio perfecta sit est continuandum. Additio duorum granorum oxydi antimonii cum phosphate calcis, ad inducendam diaphoresin, quæ sæpè tollit morbum, maximè tendere potest.

Si dolor lateris ingravescit, epispasticum ad locum admotum maximè proderit. Diæta ægri nutriens, tamen facilis concoctu, præsertim si morbo vel longâ habitatione in regionibus calidis vel insalubribus, valdè confectus sit. Omnes liquores fermentati et spirituosi, utpote in hoc morbo nocentissimi, non sunt concedendi.

Optimum

Optimum remedium, si potest fieri, est ad solum patrium frigidum redire; nam post unum impetum hujus morbi, ullis ex causis excitantibus expositi, ad reditum ejus maximè sumus proclives.

FINIS.